F.I. FRONTO CANONICUS REGULARIS ET CANCELLARIUS S. GENOUEFAE AC...

Jean Fronteau, Josè Maria Fonseca de Evora



cum infamia proſcribi non patiaris modò, ſed vltrò conſentias & proſcriptionem iſtam tuo calculo confirmes. Poſtremò, quod, vt audio, à multis iactatur, quæſtionem Facti cum quæſtione Iuris in illa Formulâ Epiſcoporum confundi ægre fers, atque eò nos adigi, vt rei illi quæ merum Factum continet, eadem manu eademque fide ſuffragemur, quæ circa ſola Eccleſiæ dogmata adhiberi ſolet: quod tamen, ais, in Eccleſia inauditum & nuſquam hactenus vſurpatum. Hæc ſunt igitur quæ te mouent, vt ab omni Subſcriptione abſtineas, & eam à te exigentibus reluꝺteris, quaquâ illi ſint authoritate.

Tria hæc velim mecum examines. Nihil quicquam dicturus ſum, quod non diligenter apud me, & coram Deo agitauerim, non ab eo modò tempore quo Benaij in territorio Andegauenſi Priorem, Paſtoremque ago, ſed longè antequam ab Vrbe diſceſſiſſem: vt multi viri cum Religioſiſſimi, tum ſpectatiſſimi teſtari poſſunt.

Ais itaque te nolle cum manifeſtæ veritatis detrimento huic Formulæ Epiſcoporum ſubſcribere. Quæſo an veritas illa tuo tibi teſtimonio conſtat, id eſt an tute Librum Ianſenij legeris accuratè, tuoque iudicio vſus deprehenderis Ianſenium nullo modo eſſe authorem harum quinque Propoſitionum? an vero aliorum diligentiâ & induſtriâ id tibi manifeſtum factum fuerit? ſi tuo id labore compertum habes, fateberis non niſi iteratâ Libri lectione & frequenti locorum inſpectione, ac collatione id te conſecutum; multa animaduerſione opus fuiſſe; acre iudicium, nec vulgare ſtudium ad id requiri: atque adeo non ita manifeſta veritas eſt, ſicut lux iſta quâ fruimur, aut ea quæ ex primis principiis, vt loquuntur philoſophi, ſtatim eliciuntur; ſed veritas illa abſcondita eſt, inuoluta, ingentis voluminis mole oppreſſa. Atqui in indagatione eiuſmodi veritatum, hoc eſt latentium, primoſque aſpectus fugientium falli nos poſſe niſi perſuaſum habemus, plus nimio ſapimus, & iam ex hoc erramus. Cum ergo Summus Pontifex aſſeueret ſtudio, & cura Theologorum Romanorum rem hanc diu exagitatam fuiſſe: cum Epiſcopi Galliæ huic etiam rei operam nauauerint, inter-

quos quis neget esse viros doctissimos & diligentissimos? & contrarium affirment eius quod sentis, cur iudicio tuo potiùs quàm iudicio tantorum Theologorum? Et quomo tibi manifesta veritas est, quam alij minimè vident, nec dere possunt, quidquid scripserint multi vt ei lucem fac rent?

Sed ais tuo te iudicio hac in re vsum non fuisse, sed iudic aliorum æque doctissimorum, meoque cum primis, lice nullâ doctrinæ prærogatiuâ spectabilis sim. Bene est, vid quid reponam, & nisi me indignum censes, quem authorem habeas; sequere me. Re verâ bis Iansenij Librum sumpsi in manus, vt quæstionem hanc ad examen reuocarem. Re diligenter pensitatâ existimaui tum primùm Iansenium posse ab omni calumnia vindicari; iis in locis, è quibus has excerpere propositiones videntur, vidi quædam passim inseri temperamenta, quibus ea quæ durius pronuntiauit, emolliri & corrigi possent. Hoc inquam aliquandiu existimaui: non sic tamen vt mihi manifesta veritas esset; meque falli posse non dubitabam. Nemo quippe aderat, qui contradiceret. Facile fuit vt mihi ipsi imponerem & præiudiciis occupatus in hanc potiùs quam in aliam partem inclinarem; denique non ita oculatus sum, vt omnia videam. Dum sic anceps nutat animus S. P. N. Alexander VII. statuit nemini licere has quinque Propositiones Iansenio abiudicare, quod reuerâ Iansenij sint, & in sensu Ianseniano damnatæ. Illico vt hanc Constitutionem vidi, non dubitaui Ecclesiæ Capiti & Pastori esse assentiendum. Cumque Formula Episcoporum id exigat, vt hunc meum assensum manu meâ consignem, libenter obtempero. Quid in hoc negotio inuenitur quod argui possit? Meam sententiam nolo cuiusquam sententiæ præferri. Hoc non ex ignauia, aut imbecillitate, sed ex Christianâ moderatione proficiscitur. Huic meæ sententiæ renuntio, vt Ecclesiæ Patribus morem geram. hoc non modò pium, sed etiam æquum est. Qui secus faxit, is præfractus, & pertinax, & genio suo nimium indulgens censendus. Huius itaque capitis summa hæc est; vbi manifesta veritas non est, aliorum iudicio & inquisitioni cedere laude

dignum eſt : maximè ſi illi quorum iudicio ſtamus, nobis prælati ſunt à Deo dati, vt eos audiamus : atqui hîc manifeſta veritas non eſt ; quia à multis non deprehenditur, nec agnoſcitur, & multiplici ac varia inquiſitione indiget. Igitur qui aliorum ſententiam potiùs quàm ſuam amplectitur, nihil contra manifeſtam veritatem aggreditur. Et hoc eſt primum, quod te mouere videbatur ; Venio ad ſecundum.

Nominis Ianſenij proſcriptioni, & famæ, ac fidei illius detractioni aſſentiri non vis ; cum de illius hæreſi tibi non conſtet. Verùm cum huius proſcriptionis author non ſis, ſed ei tantum conſentire timeas, nonne tuæ ipſius famæ tuæque fidei integritas tibi maiori curæ eſſe debet quam Ianſenij ? Atqui dum Ianſenio times, infamiam, quam ab eo auertere non potes, tibi infligi pateris, periclitatur propter tuam inobedientiam tua fides, tuique nominis exiſtimatio : malum, inquam, quod à Ianſenio repellere non potes, in caput tuum imprudens accerſis. hîc tritum effatum inuertendum, quod alteri fieri non vis, tibi ne feceris. Diuelli à Ianſenio non vis, ſeparari à ſummo Pontifice, ab Epiſcopis Eccleſiæ, à Fratribus, à communione fidelium pro nihilo ducis. Sed ais, ſi ab Eccleſia eiicior, modò ſine culpa ſim, non nocebit. Quamquam in culpâ non eſſes, graue iſtud malum eſt ; & omni ratione vitandum : ſatius eſſet mori quam hoc incommodum incurrere. Sed quis tibi dixit te in culpa non eſſe, cum contrarium affirment plerique omnes Epiſcopi, Doctores Theologi, ſummus ipſe Pontifex ? Tuo hac in re adhuc vteris iudicio, quod fallax & lubricum, & erroribusmultis obnoxium. Quam multi olim Origeni valde addicti fuere, ijque viri magni? & tamen cùm authoritate Eccleſiæ ipſi renuntiandum fuit, non reluctati ſunt. aſſenſere eius nominis proſcriptioni, & memoriam illius alioqui celeberrimam damnari paſſi ſunt. Intererat enim totius Eccleſiæ tunc, vt tantum nomen labefactaretur, ne alijs eſſet laqueo, ne Catholicos in pernicioſiſſimos errores, quibus libri eius ſcatebant, induceret : & tamen an ipſe tot errorum author eſſet dubitatum eſt : & non defuere, qui eum defenderent, quique ab aliis, operibus eius inſertos, aut falſò

ei tributos sustinerent. Consensere tamen omnes, vt errores Origeniani dicerentur, & tamquam Origeniani damnarentur. Sic hæresis Nicolaitarum ab authore de quo non constat nominata, & eius nomine damnata est. Qui condemnationi Theodoreti propter authoritatem Concilij V. assensere, an idcirco apud posteros male audierunt? aut in crimen propterea vocati sunt? ita certè qui hodie Ecclesiæ vnitatem, Superioribus obedientiam, propriæ sententiæ abdicationem, Fratrum concordiam Iansenij gloriæ præuerterint, & quam tueri non possunt eius nominis existimationem, missam fecerint, putas reprehendendi sunt, aut in crimen aliquando vocandi? sudarunt aliqui, vt hanc infamiam quæ nomini Iansenij inuritur, pro virili amolirentur, eumque ab omni calumniâ vindicarent, nec dubito quin bono animo laborauerint: sed quandoquidem eò peruenire nequiuerunt, nihil ipsis antiquius esse debet, quàm vt Ecclesiæ cuius filij sunt sese approbent, eique sese adiungant. Qui diu arcem defendit contra hostes acerrimos, postquam strenui ducis partes omnes adimpleuit, vbi extrema videt diruta propugnacula & hostes iam arcem inuadentes sentit; si omni spe salutis ablatâ componit, quò saluus esse queat, nequaquam id ei dedecori est. Vt enim fortis in defendenda arce, sic prudens in tutandâ suâ vitâ habebitur. Nihil superest Iansenij defensoribus præter distinctionem Iuris & Facti: at hoc est quod nobis postremò pertractandum est.

Vtinam distinctio illa numquam in mentem Iansenistarum venisset; plus incommodi affert quam vtilitatis: Nam diu in Ecclesia fuit subscriptum hæreticorũ condemnationi absque vllâ iuris & facti distinctione, vt in Ariana, Nestorianâ, & Eutichianâ hæresi numquam venit in mentem cuiusquam factum à iure secernere. Ita sane (inquis) quia Nestorium authorem esse illius hæresis euidens erat; nec ipse negabat, vnde necessaria non fuit illa distinctio. Hæc responsio huic loco non congruit. Fateor dubitatum fuisse an quinque Propositiones ab INNOCENTIO X. damnatæ essent Iansenij: numquam dubitatum est an Nestoriana hæresis esset Nestorij, & sic de alijs: verum hac de dubitatione dixi in prima

parte huius Epistolæ, magis hac in re credendum esse Patribus Ecclesiæ affirmantibus quod sint Iansenij, quàm paucis Doctoribus qui hoc negant. Itaq; exceptio illa non est huius loci: Si enim in prima parte euici hoc, quod mihi erat in mente, concedemus Propositiones esse Iansenij. Sed hoc quod dico esse Iansenij, Facti non Iuris res est (inquis) fateor: at Factum numquam ad fidem pertinet. Distingo, præcisum, esto, coniunctum cum iure, nego: nam ab antiquis in refutatione hæreseωn Arianæ, Nestorianæ, Eutychianæ, & quod rem nostram propius spectat, Nicolaitarum, & Origenianæ, Factum à Iure numquam præcisum fuit. Vtrumque damnatum est. Propterea dixi, qui hanc distinctionem prætendunt, sibi ipsi molestiam facessunt. Factum cum Iure coniunctum simul confundere, vtrique subscribere vnâ subscriptione neque insolens in Ecclesia, neque absurdum, imo sæpissime vsitatum fuit, neque veniebat in mentem ista distinguere. Tribus à me propositis existimo me fecisse satis.

Non retexo hîc iteratas Iansenianorum querelas, inauditos damnari, rem inter partes minimè agitatam definiri, in toto huius Condemnationis progressu multa omissa quæ necessaria erant, multa perperam sumpta, aliaque huiusmodi innumerabilia. Hæc si quidem, antequam res confecta esset opponi potuere, nunc finem hisce disputationibus imposuere Episcopi. Frustra illa dicuntur, neque censenda sunt, nisi inania peruicaciæ cuiusdam velamenta aut vltima desperatorum perfugia. Neque mihi placet quod nonnulli subscribendo Clausulas quasdam, aut Exceptiones apponunt, quibus ab omni calumnia tueri sese possint: Ne scilicet ipsis ignauiam vllus exprobret; quâ in re non satis sincerè agere videntur, & aduersariis suis scribendi agendique contra se ansam præbent, nolunt has sopire lites, & nouarum disputationum semina post se relinquunt, in quibus tamen, si ex præteritis futura bene conijcimus, egregiè vapulabunt. Simplici Subscriptione hac in causa nihil melius, nihil tutius subscribenti esse possit.

Scio quid mihi obijcias me nempe nondum huic Formulæ Episcoporum subscripsisse. Aio in primis Formulam Episco-

porum Parisiis anno 1660. Congregatorum non aliam esse ab illa quæ ab Episcopis Parisiis anno 1655. Congregatis dictata fuit: huic autem cum Religiosis sanctæ Genouefæ Canonicis dudum subscripsi. Postremæ huic subscribere non detrecto; sed nemo qui id iuris habeat, id à me postulauit, & norunt omnes ex Episcoporum decreto, & Regis edicto, petente proprio loci Episcopo, esse subscribendum. Si Rex ipse, si Superior quiuis id à me exigat, præsto sum. Subscribo. Vale, & si mihi credis, suscribe.

Datum die quarta Octobris, Anno Domini 1661.

